

817  
11

# MISSELLA- NEÆ ET SELE- CTIORES ALIQVOT QVAE- STIONES ET ASSERTIONES EX IV- RE CIVILI ET CANONICO depromptæ.

*Quas*

DEO TER OPT: MAX: DV-  
CE ET AVSPICE.

Ex decreto, & authoritate, amplissimi Iurisconsul-  
torum ordinis, in inclita & archiducali Fribur-  
gensium Vniuersitate

S V B P R A E S I D I O

NOBILIS, CLARISSIMI, ATQVE CON-  
sultissimi viri Dn. SIGISMUNDI VVITTV  
V.I.D. pandectarum professoris ordinary, nec non pro  
tempore Decani eiusdem facultatis spectatissimi.

Pro summis in vtroq; Iure titulis, ac priuilegijs  
consequendis;

*publicè defendendas suscepit.*

MARQVARDV CONRADVS ARMSPACH  
Spirensis Nemetus.

Die 14. Mens: Augusti

F R I B U R G I B R I S G O I Æ .

Ex Typographo MARTINI BÖCKLERI.

Anno M. D. C. IX.



**ADMODVM RE-**  
**VERENDIS, NOBILIBVS, MA-**  
**GNICIS, ET AMPLISSIMIS DD. Dn. PRO**  
posito, Decano, cæterisq; Canonicis Capitularibus, Cathe-  
dralis Ecclesiæ Spirensis, spectatissimis. Dominis Mæ-  
cenatis ac fautoribus suis gratiosissimis.

**R**efert insignis ille scriptor Lu-  
cianus, Admodum R<sup>di</sup>, Nobil:  
atq; amplissimi viri, de Momo  
operum omnium sine diuinis, si-  
ue humanis viribus fabricato-  
rum, rigido examinatore, in eo quem hære-  
seon nomine insigniuit dialogo, factum sanc-  
memorable, quamquam fortasse magis ad-  
miratione quam commendatione dignum.  
Cum enim Vulcani manibus affabre exstru-  
ctum hominem contemplaretur, fenestratum  
desiderabat pectus, ac quasi carnea transen-  
na obseptum, per quam cordis omnibus late-  
bris penitus inspectis virtutum vitorumq;  
origo ac scientiarum succrescens varietas vi-  
deri posset, proinde peccati arguebat natu-  
ram, qua infinitis malis bonisq; occultandis

etate imitamur pleriq<sub>z</sub> rerum alienarum cupidissimi, & quoniam ipsa mens non patet, sed profundius corporis ergastulo, quam ut oculis cerni queat, immersa habet; ex signis, quae traluentis septi loco, natura instituit, abditissima eius signa indagare conamur. Hinc si quis ferro, flammaq<sub>z</sub> populatur agros, omnia cœde, sanguine, rapina complet, hostem; si honorem defert, commodum promouet, amicum; si subdiliter de summis rebus disputationem philosophum, Medicum, Iurisperitum, Theologum, ex signis iudicamus. Vnde eorum qui addiscendis litteris operantur aliquam, à se impensam videri volunt, signum nullum, nullus reperitur modus, per quem progressum in mente latentem fecisse parentes, cognati, aut patroni, alijsq<sub>z</sub> prius intelligent, quam argumento, (quotanquam per transennam latentem perspiciant in animo fructum) experiantur aliquo. Quin tale à me iam profectus specimen exspectaueritis, non dubito, quare ut exspectationi iustissima satisfacerem, prævia ante sexennium plus minus de præscriptionum ardua & spinosa

satis.

latitudine, computatione publica, non p[ro]ficiens  
ex utroq[ue] luce desumptas. & collectas pro sum-  
mis in utroq[ue] Iure titulis ac priuilegijs con-  
sequendis, publicè iterum defendendas su-  
scipi theses, existimans eas fore fene stellæ instar,  
per quas promptam subiecti animi significa-  
tionem, (qua R. R. D. D. V. V. obstrictus  
sum,) lustretis. Cum autem de more sit, illas  
patrono cuiquam dedicare, nemini quam R.  
R. D. D. V. V. consecrandas esse decreui.  
Nam si illa sententia quæ verissima, vera  
est. Qui beneficia inuenit compedes inuen-  
it, Ego vero non solum propter Auum  
maternum Hieronymum Moser pro tempo-  
re Cancellarium, sed & parentem honoran-  
dum, Ioannem Armspach ad tempus Consili-  
arium, tam apud R<sup>dis</sup>: principem Mar-  
quardum felicissimæ memorie quam respe-  
ctuè apud Capitulum vestrum benemeritos.  
multis nominibus atq[ue] adeò compedibus om-  
nimode constrictum, me tandem eximere de-  
beam; par est, vobis Viri Amplissimi ut  
qui maximi in parentes meos, piæ memorie  
extitistis (quales & in me etiam futuros con-  
fido) hoc à memunus offerri, quod ex se licet

humillimè commendantis, si addatur per-  
magnum. Humillimè itaq; hunc Ingenij mei  
fatum R. R. D. D. V. V. offero, eaque decet,  
animi subiectione contendens, ut partum  
hunc, quando ipse lucem hanc R. R. D. D.  
V. V. debet, sua luce ne indignum iudicent,  
me meaq; studia sub eadem propitiâ favoris  
aura delitescere patientur, & hunc animum  
ad quævis seruitij genera promptissimum  
suscipiant in quo omne desino. Deus ter opt:  
Max: R. R. D. D. V. V. incolumes seruet,  
honoribus augeat, dignitatibus ornet, patriæ  
patres, hæresum victores, orthodoxæ fidei de-  
fensores, ac propugnatores, fortes, fælices, bea-  
tosq; aeternum foueat actueatur. Friburgi  
Die 14. Mensis Augusti Anno 1609.

R. R. D. D. V. V.

Humilimus & dedicissimus Cliens.

Marquardus Conradus Arm-  
spach Spirensis Neme-  
tus.

# MISCELLA NEARVM PRO- POSITIONVM.

## THEISIS PRIMA.

**R**um Criminis Iæſæ Majestatis, quod in summum principem, Imperijq; Statum propriè comittitur præter, summaum supplicium & alia singularia (A) quæ in hoc Iudicio obſeruantur ob criminis atrocitatem: etiam confiſcatione bonorum (B) affici Juris eſt.

(A) *L. famosi L. In quaſtionibꝫ ff. ad L. Iulium Majest. hoc enim caſu quiuin alias accusare prohibitus, postulare potest (B) L. Forum. L. Is qui reatu ff. eod. L. Meminisse oportet L. post Diui Marti C. eod. Auth. bona damnatorum C. de bon. praefcript.*

## II.

An vero illa confiſcatio fiat ipſo Iure (C) Aut poſt latam fermentiam condemnatoriam demum (D) difficultate non caret Nobis prius theſeos membrum placet.

(C) *Ex Iudiciorum ff. de Accusat. & inscript. L. vlt. C. ad Iuliam Majest. & in L. Quisquis C. eod. tit. ibi bonis eius omnibus haſco nostro addictis. Item Diinus ad L. Imperator ff. de Iure fiſci Boerius decis. 287. nu. 2. (D) L. quaſitum 15. ff. qui & a quibus manumiſſi L. poſt contracuum ff. de donat. Menoch. conf. 99. n. 6.*

## III.

Sed ytrum hodie poenæ illæ (maxime ex L. quisquis § filij. C. eod. omnes ratione filiorum obſeruentur & etiam ad nepotes & ulteriores extendantur controuerſum eſt (E) nobis negantiū opinio yeluti æquitati magis consona aridet. (F) (E) dif-

(E) *dissentit rex. in c. Vergentis de heret. Gomezius variar. resolute.*  
*lib. 3. Resol. 2. n. 13. (F) Deut. 24. ver. 6. 2. Reg. 16. vers. 6. Ierem.*  
*31. v. 29.*

#### I V.

Possitne furiosus ex delicto, ante furorem perpetrato, obligari, adeoq; pœnâ corporali affici à Doctoribus controvèrtitur (A) Nos sententiam negatiuam & æquiorem & benigniorem, amplectimur (B) cum in pœnis mitior (C) pars sit amplectenda.

- (A) *Lud. Roman. in L. furiosum C. qui testamenta facere possunt*  
*Franciscus Albergotus qui fuit discipulus Bartoli teste Iasone in*  
*L. furiosum non procul à fine Ioannes Valdus lib. 2. quæst. cap. 7.*  
*Andr. Fachineus controuers. lib. 9. cap. 3. (B) Bald. Alex. in d. L.*  
*furiosum. Videatur & Apostol. ad Dec. in L. in negotijs ff. de R. L.*  
*(C) L. Interpretatione ff. de pœnis.*

#### V.

Dubitari autem hic contingit. An Mulier SCto. Velleiano & fauori suo pro se introducto renunciare possit (B) quod nos affirmamus. (C)

- (B) *Paul. Castr. et Saylic: & ad. L. vlt. 3. vlt. ad S C. Velleianum Fach:*  
*controuers. lib. 2. cap. 58. n. 59. Immola in cap. ex rescripto de Iure-*  
*iur. Couar. in c. I quanuis de patr. in 6. part. 2. relift. § 3. n. 5.*  
(C) *Goth. ad C. fin. § vlt. b. t. Treut. Select. disp. 28. thesi 2. lit. B.*

#### V I.

Quod maxime locum habet si in rem suam vel utilitatem intercesserit (A) aut callide versata sit (B) aut si piâ de causâ ut in se suscipiat obligationem mota fuerit (C) si post biennium denuo interuenerit, (D) aut lucro impulsa fideiussiterit (E) aut de eo certior facta renunciauerit. (F)

- (A) *L. 13. aliquando in pr. si pro aliquo L. bona fide ad S C. Vell. (B)*  
*L. I. 2. §. 3. Sed ita L. 39. si decipiendi d. t. infirmitati enim non*  
*mulierum calliditati succurrerit L. 5. si sine d. t. (C) L. penult. C.*  
*t. (D) L. si mulier C. ead. (E) L. 23. antique C. eod. (F) Gomez-*  
*tom. 2. part. 13. n. 17. Conar. cap. quamuis 2. par. num. 4. & seq. 33.*  
*Mol. disp. 390.*

Ex-

Exceptio non numeratae pecuniae, an post biennium  
opponi possit? varie à Dd. disputatur. (A) Nos (B) eorum  
partes sequentur, qui inter Exceptionem non numeratae pe-  
cuniae priuilegiatam, & communem distinguunt. Illa est quæ  
onus in creditorein, hæc in Reum seu debitorem reijcit, & il-  
lam post biennium competere negant; hanc verò affirmant.

(A) *Duarenus in tit. de non num. pec. Facheius 2. controv. 81. et*  
*82. (B) Et hæc est communis opinio quam tenet Paulus de*  
*Castro in L. in Contractibus de litterarum oblig. et in L. si ex cau-*  
*tionen. 18. et Jason. L. qui pecuniam 30. n. 7. ff. si certum petatur*  
*Dynus in c. locupletari 48. de R. I. 6. et Decius in L. Iure naturæ*  
*206. ff. de R. I. Canonista in c. fin. de solution. pulcherrimè Schneid.*  
*tit. de litterar. obl. n. II.*

## V I I I.

Quod multò magis dicendum de æquitate Iuris Cano-  
nici, cum Creditor non numerans pecuniam, eamq; ex chy-  
rographo exigens, vix possit esse sine mala fide.

*Arg. c. vlt. de prescript. et c. locupletari de R. L in 6. Dynus.*

## I X.

Hinc resolutur quæstio, quâ quæritur? Si procurator  
quem ad mutuam pecuniam accipiendo constitui, confes-  
sus sit se recepisse, spe nuinerationis, quæ secuta non est. An  
ex ejus confessione tenebor? & affirmatiuè concludo.

*Zafius ad L. 2. § fin. suc. et I. respons. 21. arg. L. 4. 6. § de admin. et pe-  
ric. tut. ubi Gothof. Treut. disp. 20. thesi 2. litt. B. et C. et seq.*

## X.

Procurans abortum, teneaturne ex L. Cornelia de Si-  
carijs? & Respondemus sub distinctione; aut procurat abor-  
tum, ante partum viuificatum, (A) & leuiori poena puniri;  
aut verò post partum viuificatum seu animatum, quo casu  
capitis teneri, censemus. (B)

(A) *L. 4. de extraord. crimin. (B) C. Moy. sc. 32. q. c. Sicut ex littera-*

### X I.

Hinc expendi potest elegans quæstio? An Veneni propinatio animo occidendi contingens, continearur sub poena L. Corneliae de Sicarijs, quamuis mors secuta non fuerit, & quamuis multa in contrarium afferri possint. (A) istam nos opinionem veriorem esse arbitramur, talem poena hac ordinaria L. Gorn: esse puniendum. (B) Cui sententiæ suffragantur omnes, qui voluerunt conatum, in his atrocioribus, ad proximum actum deductum, ordinariâ poenâ dignum fore.

(A) *Bald. conf. 4 43. lib. 3. Cæpolla conf. vlt. Ang. § fit injuria L.I. ff. de extraord. crim. Flor. in L. litem si obstetrix ff. ord. L. Aquitan. Parisius in consilio. 167.n.13. lib. 4.* quæ allegata intelligo de eo intelligenda qui quidem venenum ad occidendum alterum emerit aut præpararit, non tamen propinarit.

(B) *I.C. in L. 3. in princ. ff. de Sic. Bald. in L. nemo Cal 3. C. de Summa Trinit. Felin. c. 1. dc homicidio. text. opt. in L. 1. C. de malef. et math.* Adeò quod aëtus iste ad occidendum adeò propinquus sit, vt ad mortem nihil aliud sit agendum.

### X II.

Sententiam definituam prætextu nouorum instru-  
mentorum retractari non posse arbitramur. (A)

(A) *arg. L. 4. C. de re Iudicata l. 12. § 3. de bon. lib. Duar. 2. disp. 33.*  
*Item ad L. 35. de re Iudicata ibidemq. Zafius.* nec ob alios testes.

### X III.

Exceptis tamen quibusdam casibus (c) quo etiam refe-  
ro casum, si quis nouiter repererit (D) quæ prius ex justa &  
probabili ignorantia non produxit, vt restitutio benefici-  
um ei, ex hac causa tribui possit.

(C) *quos vide apud VVesemb. de re iudicata n. 10. Myns. 4. obs. 60.*  
*Duar. in d. L. 35.* (D) *Arg. L. 1. ex quibus causis major in integ.*  
*L. 1. § 8.*

*L. I. § 8. de ritu, attuq; priuati. arg. L. 10. § vlt. de edendo junctis  
L. vlt. de eo per quem fact. erit.*

## V I V.

Occasione huius moueri & dubitari solet? an sententia  
debeat & possit retractari. (E) ob testamentum postea de-  
mum repertum? (E) quod affirmamus.

(E) *Dd. Vulgo teste Soar. lit. I. n. 5. (F) argumento L. 6. de transacti.  
L. I. ff. testament. quom. oper. L. 2. de Iurejur. Duar. d. loc.*

## X V.

Illud eleganter quæritur: num annuletur sententia, de qua  
Iudex in Mortis articulo dixit, quod injustè sit à se prolatè?  
Tum demum nullari placet, cum præsumptiones aliae  
contra sententiam concurrunt, in Iudicis verò præjudicium  
indistinctè.

*Videatur Soar. lit. I. n. 249. Alc. reg. pref. 4. n. 7.*

## X VI.

Actionem prætoriam anno finiri constat. (A) An vero  
ille annus utiles sit, aut continuus disceptatur (B) nos prius  
theseos. (C) membrum probamus.

(A) *L. si non connicijs C. de Iniurijs per ea que habet Myns. lib. V.  
obs. 7. Vulteius ad § pena autem 7. n. 8. de Iniurijs (B) Alb. ad L.  
5. de Iniurijs et alij annum intelligi malunt continuum. qui ini-  
tium sumat ex tempore illatae iniuria (C) Geil: 2. obs. 10. §. per tot.  
vbi vide plures qui intelligi malunt annum utilem qui incipiat  
demum a die scientiae eius cui illata est iniuria Menoch: de arbit.  
casu 199. in fin.*

## X VII.

Oportuna hoc loci quæstio sese offert, possitne Actio-  
ne Iniuriarum conueniri, qui alteri verum crimen objicit?  
super qua variæ Dd. sententiaz erant. (D) Nos in hanc di-

stinctionem descendimus, ut siquidem conuitium crimen contineat, quod Reip. interfit sciri atque innotescere, ut puniatur nocens, tunc nulla poena afficiendum, secus autem si tale crimen non sit (E).

(D) *Vid. Concil. Boerij 41. L. 18. in pr. de Iniurijs (E) Couar. var. resol. lib. 1 cap. 11. n. 6. Geil. 2. obs. 99. Vulteius ad § 1. de Iniurijs Trent. 2. disp. 30. θ 5. litt. G. facit etiam L. Iustissimos de officio Rectoris Prouinciae L. quisquis § 1. de post. &c. cum Minister 23. q. 5.*

## XVIII.

Qui confugientem ad Ecclesiam, siue ex causa ciuili siue criminali, antequam caperetur extraxerit inde, aut scienter violauerit crimen læsa Majest: committit de Iure Ciuali (F) Iure Canon: poenam excommunicationis (G) incurrit.

(F) *L. fideli C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt (F) c. reum 17. q. 4.*

## XIX.

Vtrum hac immunitate Excommunicati, Iudei, Schismatici gaudeant, inter Iuris interpretes non conuenit. (H) Nobis incapaces harum Immunitatum visi sunt. (I)

(H) *Couar. lib. 2: variar. resolut. cap. 20. n. 5. Infidelibus & haereticis hoc priuilegium denegat, quod Indignus videatur Ecclesiæ priuilegijs, qui Ecclesiam non audit. Clarus lib. 5. sent. § fin q. 30. n. 18. c. 4. Sylvest. v. Immunitas 3. q. 2. Illos priuilegijs hisce gaudere affirmantr, quod ea non hominum sed Ecclesiæ confugientium sed locorum intuitu concessa videatur.*

(I) *argumento L. 1. de haeret. & Manich.*

## XX.

Prætabilis restat & quotidiana quæstio discutienda. Apendente lite Actor bona de quibus agitur, Rei in opis & Egeni possidens, ut alimenta & sumptus præstet eidem necessari-

os, compelli possit, & humaniorem suscipimus opinionem.

C. L. si Instituta de Inoff. testam. L. fin. C. de ord. cognitionum. Mynf. cent. 6. obs. 21. n. 1. et hoc non solum in apolo. sed etiam in l. Inst. ab initio usq; ad finem litis.

## X X I.

Sola tamen paupertas agentis non operatur, ut ei debentur alimenta pendente lite (A) ex casu quo quis inter litigandum sua culpa pauper factus est. (B)

(A) L. Imperatores ff. de tut. et rat. distr. late Menoch. de præsumpt. q. 35. n. 32. et de arbit. Jud. quæst. cas. 169. n. 12. Bald. confil. 478. n. 2. vol. 3 gl. in c. quæ in Ecclesiast. in vers. ad inopiam. de const. 200. est quod pauperibus et in simili personis non sit ita favendum et alijs fiat iniuria cap. ex tenore de furo competente et alias regulare sit, quod priuilegiatis non sit ita fauendum ut Iura aliorum perturbentur. c. Nolentes de priuil. in §.

## X X I I.

Eallit item in eo qui habet alium, à quo alimenta & sumptus litis petere potest.

C. Bart. in L. si quis à liberis § item rescriptum de liberis agnoscendis.

## X X I I I.

Vel demum quando pro aliquo Credito actione personali, vel pro aliqua re singulari, quam prætendit esse suuam, actione reali experitur.

Ioan. Lup. in c. per vestras vol. 1. ampliationis § 39. col. 2. in fin. de donat. inter virum et uxorem.

## X X I V.

Etiamsi aliquam sententiam, à qua tamem appellatum est, obtinuerit, cum præsumptio quæ ex sententia oritur, per appellationem tollatur, vel saltem suspendatur.  
c. pastoralis § pratoria de officio delegatur.

Coronidis loco discutiendum quid Iu-  
ris? si vasallus infcio domino prædium  
censu grauatum vt liberum diuendat, præ-  
scribatne aduersus dominum, prædij em-  
ptor? nos qui sine distinctione ad quæstio-  
nem respondent errasse, disputando tuebi-  
mur.

VIRO DOCTISSIMO ET POLI-  
TISSIMO, Dn. MARQVARDO CONRADO  
ARMSPACH LL. Cand. populari suo percharo,  
in singulare amicitia pignus hæc adposuit.

IOANNES EVERHARDVS HAVGIVS  
Spirensis LL. Stud.

Va dudum egressus, liquisti littora, vento.  
Et simul hortante hoc tempore, nunc repetit.  
Di cæptis aderunt: aude feliciter, aude:  
Te ponent, patrem quo posuere, loco.  
Iura Tribunalis summo cum spira videbit  
Reddenter: VOTIS, perge DEÆ & DI, ADERVNT.



AR-

# ARCTISSIMÆ CONVERSATIONIS ET AMI- CITIÆ ERGO.

**GRATISSIMO DOCTISSIMO-**  
**QUE Dn. MARQVARDO CONRADO ARM-**  
**SPACH LL. Candidato. Miscellanea hæc Theorematæ**  
**defensuro.**

FRANCIS: BORNEMIZZA Transyluan:  
LL. Studios. appos.



Rufra tumentes expositus graui  
Vitæ periclo, Nauita gurgitis  
Sulcabit vndas: nec timore  
Callidus accipiti reposcat  
Gentes remotas institor, horridos  
Ni spes futuri perficiat boni  
Casus laborum: nam; quid vrget  
Sic animas agitare in vndis?  
Et dura tantis ausa periculis  
Inire? quando naufragij mala  
Negant quietem, funditusq;  
Commoda diripiunt hotoris  
Quæsita? Sed cum gratior algidas:  
Pemat laborum sollicitudines  
Euentus, expedit seueris  
Credere vitam, animamq; fatis.  
Sic, cui nitenti gloria vertice  
Famam locauit, nobile pertinax  
Ad laudis inclutæ trophæum  
Sollicito properauit actu.

An te

*An te iecutum degenerantium,  
Marquarde, Mores, detinuit Venus  
Cultu impudica turpiore,  
Dum Decus & Decoris respectas  
Pompam futuri? vel scopulos graues  
Trans nauigasles Iuris in æquore,  
Si non laborum vim probasset.  
Grande decus decoris futuri?  
Tu, cum coronam, quam Themis apparat,  
Ex jure, magnâ sollicitudine  
Scires mereri, pertinaci  
Sedulus actu animum obligasti.  
Nec otiosâ corripuit morâ  
Mentem Voluntas, quin melioribus  
Firmatus astris, transfretasti  
Iuris in oceano charybdes.  
Et jam labores reddere portui  
Parans supremo, in prælia concitas,  
Confisus Astrææ duello,  
Iuridicam Themidosphalangem.  
I perge felix, hanc studij ultimam  
Marquarde curam soluere: vult labor,  
Et fata dant, Doctoris, ex hac  
Te titulis acie, Decorum.*

F I N I S.

